

vocabulum hic ea notione usurpatum, qua fraudes quascunque ad alium litibus vexandum adhibitas denotat. *Leg. CCXXXIII. Dig. de Verb. Signific.*

**XXIX.** Ejusmodi juramentum præstare coguntur tum Actor, tum Reus: Actor quod credens se justam, bonamque caussam habere, actionem intenderit: Reus quod putans sibi jus favere, ad inficiandum venerit: *Leg. XLIV. §. 4. Dig. Famil. ercisc.* (\*\*) et *Leg. XXIII. Tit. XI. Partit. III.* (\*)

**XXX.** Non modo Actor, et Reus ad jurandum de calumnia tenentur, verum etiam, ubi Judici libuerit eorundem Advocati, Procuratores, Syndici, Tutores, Curatores: *Cap. 6. de Juram. column. Cap. 2. eod. in VI. Leg. II. Cod. de Jure-jur. prop. column.* (\*\*) Procurator autem sine speciali mandato hoc juramentum præstare nequit: *Cap. 3. hoc Tit. in VI. et Leg. XXIV. Tit. XI. Partit. III.* Minor item rationis usu prædictus, non per curatorem, sed ipse per se hujusmodi juramentum præstaturus est: ead. *Leg. XXIV.* Advocati demum etiam legibus nostris juramentum hoc præstare tenentur: *Leg. II. Tit. XVI. Lib. II. Novæ Recop.* (\*)

**XXXI.** Ejusmodi juramentum in ipso litis exordio, sive post litem contestatam desertur: (\*\*) *Leg. XXIII. Tit. XI. Partit. III.* (\*) quod si principio omissum fuerit, in quacunque judicij parte deferri poterit: *indic. Cap. 2.* Et quidem ea adjecta pena, ut actor de calumnia jurare renuens ab instituta cadat actione, reus vero pro confesso habeatur: (\*\*) *Cap. 7. §. unic. hoc tit. Leg. I. et II. Tit. VII. Lib. IV. Nov. Recop.* (\*) Verum illud hic animadvertisendum, Juramentum calumniæ secutis temporibus in Curiis æque Ecclesiasticis, ac laicalibus fere exollevisse; et quidem ea de causa, quod frequentissima hoc intuitu essent perjuria.

#### CAPUT UNDECIMUM.

##### DE PROBATIONIBUS.

I. Lite contestata, cognitisque à Judice contendentium petitionibus, proponendæ sunt ab Actore Probationes. Probatio definiri potest: *Veritatis demonstratio per idonea argumenta, et legitima media.* Igitur ut veritas, quam in Judicio Actor profert, et reus inficiatur, dignosci possit, Probationibus opus est. Porro videt quisquis Actori probandi onus incumbere: atque adeo Actore non probante, reus, etiamsi nihil præstiterit, est tamen absolvendus: *Cap. 3. de Causs. possess.* (\*\*) *Leg. II. et XXIII. Cod. de Probationibus, et Leg. I. Tit. XIV. Partit. III.* (\*) Reo dumtaxat excipienti oppositæ exceptionis demonstratio preferenda est: (\*\*) *Leg. II. ejusdem Tituli, et Partitæ.* (\*)

II. Duplex vulgo ponitur Probatio, scilicet ut altera sit plena, altera semiplena. Prior ea est, quæ tantam fidem facit, quanta ad definiendam controversiam satis est. Posterior ea est, per quam fit, ut rebus gestis aliqua à Judice fides præstari possit; non tamen tanta, ut jure eam debeat sequi in sententia dicenda, quippe quæ constat ex levioribus argumentis.

III. Probationum genera plura quidem, ac varia, ad octo tamen veluti summa capita commode revocari posse videntur: scilicet 1. Confessio rei. 2. Testes. 3. Instrumenta. 4. Jusjurandum. 5. Ocularis inspectio. 6. Notorium. 7. Fama. 8. Præsumtio. De singulis breviter, et quidem pro instituti nostri ratione.

##### ARTICULUS I.

###### DE PROBATIONE PER CONFESSIONEM.

**IV.** Nulla magis optanda probatio, quam ea quæ à proprii oris confessione habetur: qua de re in caussis precipue civilibus primum tentanda per positiones utrinque confessio, quam aliæ producantur probationes: (\*\*) *Leg. I. Tit. VII. Lib. IV. Nov. Recop.* (\*) Positiones fiunt per brevem scripturam præcipua judicij capita complectentem, ut iis confessione adversarii constitutis, aut negatis pateat alteri, quid sibi deinde probandum sit, quidque in probatis habendum. Jam vero duplex potissimum distinguitur judicialis Confessio; nimur tacita, et expressa. Tacita est, quum reus positionibus ab adversario sibi propositis, neque personaliter, neque per procuratorem respondere velit, vel contumaciter inde discedat. In hujusmodi reum respondere detrectantem, tanquam in contumacem, atque adeo tanquam in confitentem, vel negantem, prout Actori erit utilius, poni animadvertisendum est: *Cap. 1. de Confessis in antiqu. Collect.* (\*\*) et *pref. Leg. I.* (\*)

**V.** Confessio expressa est, quum quis positioni expresse respondeat, *Credo vel non Credo*, unde vel fateatur, del inficietur, quod ipsi in positione quæsum est. (\*\*) *Jure Hispano* in hisce confessionibus non alia admittuntur verba, quam hæc: *Fatéor*, vel *Nego*; alias si interrogatus dixerit *Credo*, vel *non Credo* pro confesso habetur: *Leg. II. Tit. VII. Lib. IV. Nov. Recop.* (\*) Profecto ubi quis fateatur urgebitur sua confessione tanquam re jam probata: (\*\*) *Leg. II. Tit. XIII. Partit III.* (\*)

**VI.** In Positionibus plura jure Decretalium constituta sunt: 1. Respondere positionibus non tenetur pars adversa, nisi Judicis urgente præcepto: *Cap. 2. de Confessis in VI.* (\*\*) id quod innuere etiam videtur *Leg. I. Tit. VII. Lib. IV. Nov. Recop.* (\*) Qua de re 2. legitimate citetur oportet, ut ad respondentum à judice compelli possit. Neque 3. judici jus est per positiones interrogare, nisi parte id postulante: *Rebuffus in Tract. de Respons. Art. I. n. 14.* (\*\*) In Hispania integrum est Judicij tam actorem, quam Reum in quacunque parte judicij interrogare, si id ad justitiam caussæ elucidandam pertineat: *Leg. I. in fin. Tit. X. P. III.* (\*) Tum 4. nemo respondere tenetur positionibus perplexis, dubiis, obscuris, captiosis, ad caussam non pertinentibus. Unde 5. Positiones, antequam Parti responsuræ offerantur, Judici exhibendæ sunt, ut dignoseat, admittendæ ne sint, an potius rejiciendæ. (\*\*) Ut autem confessio rite peragatur, plures sunt conditiones necessariæ, quarum præcipua est, ut clam à judice, Scriba excipiente recipiatur, nec terminus ad deliberandum, nec facultas consulendi detur; *pref. Leg. II. Tit. VII. Lib. IV. Nov. Recop.* (\*)

##### ARTICULUS II.

###### DE TESTIBUS.

**VII.** Frequentissimo judiciorum usu ad ostendendam rei dubiæ veritatem adhibentur testes, qui fidem Judici faciant. Porro ut testibus integra habeatur fides, necessum est, ut sint idonei, omnique exceptione majores; h. e. quibus nihil possit jure opponi, ne ad testificandum admittantur: *Leg. II. Dig. de Testibus.* Et sane ab dicendo testimonio alii naturæ, alii conditione, ac demum alii vita repelluntur.

**VIII.** *Natura* repelluntur foeminæ, impuberes, perpetuo amentes &c. (\*\*)

*Leg. VIII. et IX. Tit. XVI. Part. III.* Fœmina verò, quæ integræ famæ sit à testimonio dicendo non repellitur legibus Hispanis; excepta testamenti factione: *Leg. XVII. ejusd. (\*) Conditione arcentur servi, domestici, et familiares, uti ad fines, consanguinei, famuli, liberti, coloni &c. (\*\*) Leg. XIII. XIV. XVI. et XVIII. ibid. (\*)* Vita demum prohibentur infames, tum infamia juris, uti sunt omnes de aliquo criminis damnati, tum etiam infamia facti, uti sunt omnes criminosi, et scelesti, qui ob perditos suos mores male olen: (\*\*) indicat. *Lege VIII. (\*)* Adhæc reprobatur quoque testimonium inimici adversus inimicum: *Cap. 19. de Accusationibus, (\*\*) et Leg. XXII. ibid. (\*)* neque facile admittitur testimonium laici adversus Clericum: *Cap. 14. de Testibus.* Laici enim solent esse Clericis infesti: uti neque Clerici, in caassis præsentim criminalibus, admittuntur adversus laicos: *Can. VI. Causs. 2. Quest. VII. Videsis Caravita in Ritu 144. M. C. V.* de hoc capite fuse agentem.

*IX.* Testium adseveratio omni prorsus odii, vel adfectionis suspicione careat necessum est: *Cap. 5. de Testibus,* ubi in hunc modum sancitur: *Jurent se non privato odio, neque amicitia, neque pro aliquo commodo quod habuerint, vel quod habent, vel habituri sunt ad hoc jurandum inductos;* (\*\*) cui consonat *Lex. XXIV. Tit. XVI. Partit. III. (\*)* Hoc juramentum initio examinis testibus præstandum omnino est: sine quo uniuscujusque testimonium nullius est roboris: (\*\*) Ad rem Concil. Tolet. VIII. Can. II. n. 24. *Omne quod testis adstipulat, tunc verius constat, quum id adjectio jurationis adfirmat.* Id quod statutum fuit *Leg. XXIII. ejusd. (\*)*

*X.* Duo testes, qui idonei sint, omnique exceptione maiores, adhæc et in redendo testimonio concordes, plenam faciunt probationem, tum ex universalis consuetudine à Christo Domino probata: *Matth. XVIII. v. 16.* tum etiam ex celebri Decretali Alexandri III. *Cap. 23. de Testibus.* Cœtui dumtaxat Episcopali propter honorem Summi Sacerdoti indulxit Constantinus M. ut ad litis decisionem unius tantummodo Episcopi testimonium satis habeatur: *Testimonium ab uno licet Episcopo perhibitum omnes Judices indubitanter accipiunt.* Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à Sacrosancto homine conscientia mentis inlibate protulerit: *Leg. 1. Cod. Theod. de Episc. judic.*

*XI.* Testes legitime citati, qui vel judicem adire renuant, vel Judicem adeuntes juramentum præstare nolint, bene cogi poterunt, vel multæ indictione, vel captis pignoribus, vel etiam censuris Ecclesiasticis: tot. *Tit. de Testibus cogendis, vel non, (\*\*) et Leg. XXXV. Tit. XVI. Partit. III. et Leg. VI. Tit. VI. Lib. IV. Novæ Recop. (\*)* At contra qui ad dicendum testimonium sponte accedit, pro suspecto habetur.

*XII.* Testes ita admissos, juratosque debet Judex ipse per se, clam, et seorsum ab aliis singulatim examinare. *Ipse per se;* judicis enim adspectus haud raro falsi audaciam refrænat; (\*\*) imò vetitum est Judicibus tum Ecclesiasticis, tum Secularibus, in causis magni momenti testium depositiones Notariis committere: Concil. Valent. an. 1565. *Sess. III. Tit. III. cap. 3. Leg. XXVIII. et XLIV. Tit. VI. Lib. III. Nov. Recop. (\*) Clam;* scilicet, ut præter judicem non intersit, nisi Graphiarus, vel Notarius, qui depositiones excribat. *Seorsum ab aliis;* ut nimis alter alterius testimonium ignoret. (\*\*) Id quod, quam strictissime observari voluerunt Reges nostri; *Leg. XXVI. Tit. XVI. Partit. III. et Leg. VIII. Tit. VI. Lib. IV. Nov. Recop.* hoc insuper adjicientes, ut testis nullo pacto testimonium suum alteri pandat. (\*) De peragendi examinis methodo, tum et de exceptionibus, quæ adversus testes produci possunt, opportunius in *Institut. Ciril.*

(\*\*) Illud hic tantummodo animadvertere juvat, exceptiones generales contra testes, nullatenus admittendas esse; sed specificas, ex quibus Judici certo constet, eorum testimonia infirmari: *Leg. II. Tit. VIII. Lib. IV. Nov. Recop. (\*) (1)*

## ARTICULUS III.

## DE PROBATIONE PER SCRIPTURAS.

*XIII.* Altera probationis species est, quæ fit per Scripturas, quas hic Instrumenta dicimus. Porfò Instrumentum aliud publicum est, aliud privatum. Publicum est, quod à Persona publica, scilicet à Tabellione, sive Notario secundum leges, et consuetudines conscribitur. Qua de re, uti recte notat Rebiffus *de Chirogr. et Schedul. Recognit. n. 3. et 4.* etiamsi Scriptura à Jucice sit exarata; et testes habeat subsignatos; atque adeo litteræ propria manu à Rege conscriptæ, tanquam privata habentur chirographa: quia neque Regis, neque Judicis, sed unius dumtaxat Pragmatici, sive Notarii munus est instrumenta conficerere, et in Scripturas redigere.

*XIV.* Ut instrumentum publicum dici possit, plenamque fidem facere, requiriatur omnino, ut cum Notario duo saltem testes et intersint, et subscriptant: *Cap. 2. de Fide Instrum. et Novell. LXXIII. cap. 5.* Adhæc et annus, dies, mensis, indicatio, ac locus exprimantur. Verum in his, aliquæ peculiaribus locorum legibus, et consuetudinibus standum est. (\*\*) Quantum ad Hispaniam attinet, Instrumentum publicum illud est, quod à Tabellione Publico, et à Supr. Castell. Senat. adprobato confectum sit: *Leg. I. Tit. XXV. Lib. IV. Nov. Recop.* et in quo subscriptiones testium, item contrahentium, et Notarii, cum die, mense, anno, indicacione, et loco continantur: *Leg. XIII. ejusd.* Præterea instrumenti abrasio, vel correctio, in aliqua ejus parte essentiali, suspicionis notam præseferi, nisi à Notario de iis integra fides præstetur: *ead. Leg. XIII. et Leg. CXI. Tit. XVIII. Partit. III. (\*)*

*XV.* Publicis Instrumentis adconsentur et illæ Scripturæ, quæ à DD. in *Cap. 2. ibid.* speciali nomine vocantur *Authenticæ:* quippe quæ sigillo vel Episcopi, vel Principis, aut Capituli, Civitatis, Universitatis, aliive publici Corporis, sive Collegii signatae sunt: *Cap. 6. ibid. (\*\*) Leg. I. et CXIV. Tit. XVIII. Partit. III. (\*)* Tum quoque Epigraphæ insculpte lapidibus, columnis, sepulcris, ac demum quæ ex publicis Archiviis extrahuntur.

*XVI.* Instrumentum privatum dictum illud est, quod sola scribentium, aut rem contrahentium auctoritate subsistit: hujusmodi sunt Chirographi debitorum, Apochæ, Antepochæ, Codices rationum, Epistolæ &c.

*XVII.* Publica Instrumenta legitime confecta plenam pariunt probationem: neque facile contra hujusmodi testes recipiuntur: uti ad rem monet Paulus Jurisc. V. *Sentent. 15.* At privato Instrumento vis plenæ probationis non adest, nisi trium saltem testium subscriptionibus sit munitum. Verum instrumenta privata testium subscriptionibus destituta plerumque nonnisi contra scribentem probant, dum de scriptura constet, et causa debiti sit adjecta: *Cap. 14. ibid. (\*\*) In Hispania privata Instrumenta, in judicium deducta nullam pariunt actionem, nisi à parte scribente recognita sint, vel duobus saltem testibus comprobata: Leg. V. Tit. XXI. Lib. IV. Novæ Recop. et Leg. CXIX. Tit. XVIII. Partit. III. (\*) Excipe libe-*

(I) *Per II. 2 et 5 tit. 11 Lib. 11 Noviss.* quicunque litigans offere potest triginta testes.

ratoriam confessionem, scilicet si quis profiteatur sibi fuisse solutum, quæ valet, etiamsi causa non sit expressa; idque in favorem liberationis: *Leg. XIV. Cod. de Solutionib.*

## ARTICULUS IV.

## DE JURE JURANDO.

XVIII. Ubi Judici non licuit per Testes, Instrumenta, aliasve similes ordinarias probationes veritatem elicere, juramentum adhiberi solet, quo veritas ab ipsis contendentibus, interposita religione, exquiratur. Unde à Romanis Jusjurandum maximè expediendarum litium remedium habitum est: *Leg. I. Dig. de Jurejurando.* Ac merito Suppletorium audire consuevit, quippe quod defectum probationum suppleat. Namque nonnisi ob defectum probationum à Judice per Jusjurandum litem aliquam decidi oportet. (\*\*) Id quod agnovit præf. Syn. Tolet. VIII. Can VIII. n. 24. *Quod si et testis deficiat, innocentis fidem sola Jurisjurandi taxatio manifestat:* et Alphonsus Sap. *Leg. II. et IX. Tit. XI. Partit. III.* (\*)

XIX. Jusjurandum trifariam partiri solet: nempè ut aliud sit Judiciale, aliud Necessarium, et aliud Voluntarium. Dicitur Voluntarium, quod extra judicium pars parti desert in modum transactionis: *Leg. II. III. XVII. et XVIII. Dig. de Jurejur.* Judiciale dicitur, quod in judicio, seu adprobante Judice pars parti desert, vel refert: *XXXIV. §. 7. et 8. Dig. ibid.* Desert autem jusjurandum, qui offert alteri jurandi conditionem; refert verò, qui jurandi conditionem sibi oblatam rejicit in offerentem. Necessarium demum est, quod ad litem decidendam Judex imponit, eaque intentione ab utroque litigante præstatur, ut secundum illud Judex pronuntiet: unde *Litis decisorum vulgo dicitur.* (\*\*) Eandem Jurisjurandi tripartitam notionem invenies usurpatam in *pref. Leg. II. Tit. XI. Part. III.* (\*)

XX. Jam verò ex nonnullorum Canonistarum sententia bipartita dumtaxat est jurisjurandi divisio, ita ut Judiciale, et Necessarium unum idemque juramenti genus sit. Neque enim illis assentimus Doctoribus, qui censem jusjurandum à parte parti deferri, vel referri posse, etiamsi aliunde probationes haberi possint. Profecto nimia hæc in jurejurando deferendo, vel referendo facilitas Judici permitienda non est: quam latissima enim perjuriis muniretur via.

XXI. Igitur juramentum Judiciale, sive Necessarium, Suppletorium, aut *Litis decisorum* illud dicas, quod nonnisi plena probatione deficiente, vel paribus ex utraque parte existantibus argumentis, adeo ut causa nimis dubia sit, à Judice actori, vel reo desertur, ut indè veritas in apertum proferatur: *Leg. XXXI. Dig. Jurejur.* Quamobrem merito Necessarium nuncupatur, tum quia necessario à Judice propter defectum probationum desertur, tum quia necessario à parte, cui imponitur, subendum est, nisi causa cadere velit. Excipe ubi deferatur Actori plene probanti, vel reo adversus quem nihil probatum sit: *Leg. XII. Cod. de Rebus credit.* In quod in criminalibus præsertim locum habet, in quibus reus criminis damnandus non est, nisi ex clarissimis probationibus: *Leg. fin. Cod. de Probationibus,* (\*\*) et *Leg. X. Tit. XI. Partit. III.* (\*)

XXII. Quid quod etiam in caussis civilibus nonnisi parce, et summa cum prudentia juramentum deferendum est? Admodum enim facilè est, ut homines luci cupiditate adlecti perjurium committant. Unde in antiquis Visigothorum legibus *Lib. II. cap. 22.* et in Capitularibus Reg. Francorum *Lib. VII. cap. 97.* sancitur, ut Judex pro virili nitatur per testes, vel per scripturas veritatem extundere: *Ne ad Sacraenta facile veniatur. Ut Sacraenta cito non fiant.* (\*\*)

Qua de re Alexander III. in *Cap. 2. de Probationibus*, quum apud quosdam consuetudo invalueret, ut etiam si actor plene probasset, jurare cogeretur, in hunc modum edixit: *Sane quoniam apud vos consuetum esse didicimus, ut quum aliquis intentionem suam fundaverit instrumentis, aut testibus, ei Sacramentum nihilominus deferatur, quod si subire noluerit, fides probationibus non habeatur: Nos [quum tunc demum ad hujusmodi sit suffragium recurrentum quum alia legitime probationes deesse noscuntur] talem consuetudinem reprobamus.* (\*)

## ARTICULUS V.

## DE OCULARI INSPECTIONE.

XXIII. Non levis ponderis est probatio illa, quæ dicitur *Ocularis Inspectio*, quæque fit per judicis accessum, et inspectionem. Ejus præcipuus usus est in iis, quæ oculis subjiciuntur; ut est in judicio finium regundorum, vel quum agitur de novo opere ædificando, vel de veteris ædificii facie immutanda. Verū in his, aliisque id genus judiciis satis non est, ut judex ipse accedat ad inspiciendum, sed requiritur, ut peritis utatur à jure ad id muneris constitutis; qui omnino requiruntur, licet judex ipse inspecturus accedat: adhæc litigatores legitimè advocandi sunt, quorum quisque in hac causa Actor est, et Reus: siquidem de utriusque præjudicio ex æquo agitur: *Leg. VIII. §. un. et X. Dig. Finium regund. Leg. XLIV. §. 4. Dig. Familiae ercisc.* (\*\*) Hoc probationis genus etiam in antiquis Hispaniæ Ecclesiæ judiciis locum obtinuisse, constat. Patres enim Syn. Hispal. II. Can. II. querimoniam inter Fulgentium Astigitanum, et Honorium Cordubensem agitatem, propter Parochiam ejusdem Basilicæ, quam eorum alter Cælestinensem, alter Reginensem adserebat, ad litem terminandam *inter alternas partes inspectio- nis viros mittendos* decreverunt, ut actio limitum ab utroque Episcopo vindicata, hoc modo pateficeret. In civilibus judiciis æque admittendam esse hanc probationem sanxit Alphonsus Sap. *Leg. VIII. et XIII. Tit. XIV. Partit. III.* (\*\*) De reliquis Probationum speciebus mox *Tit. sequenti.*

## CAPUT DUODECIMUM.

## DE PROCESSU CRIMINALI INSTRUENDO.

## De Judicio Criminali Jure Ecclesiastico Antiquo.

I. Criminum vindictam quod spectat, distinguendum omnino jus antiquum inter, et novum. Jure namque antiquo, uti ex veterum Conciliorum Actis eluet, istiusmodi pene erat. Primo querela libello conscripta ab accusatore Episcopo, vel Synodo pro persona accusatae conditione exhibebatur. Neque enim facilè sine accusatore, et libello veteres judicia instituebant; unde quedam accusationis species in Ecclesia jam indè à primis sæculis videtur fuisse servata. Profecto Optatus Milevitanus, quod Macario homicidii nomine accusato communionem non denegaverit, in hunc modum se purgat: *Exempla sileantur, dicamus et nos quod dicitis, reum fuisse Macarium: quod si fuit accusatore silentio a nobis non licuit abstineri. Scriptum est enim ante cognitam caussam neminem esse damnandum: quid dicite quis eum accusavit, et auditus non est? quid Dicite Macarium confessum esse culpam, et nostram siluisse sententiam?* Simus enim qualescunque ju-